1610

DE VERA THEOLOGIA ORATIO

34-6-C-13-
8
84

HABITA SENIS A F. ANDREA A S. Quirico Ilicetano in templo D. Martini pridie Kal. Octobris, anno M. D. C X.

APVD COLLEGIVM THEOLOGORVM in ultima actione Decanatus Admod. Reuer. P. Magistri SALVATORIS BINDII ILLVSTRIS SENENSIS PATRITII.

Ex Congregatione Sancti Saluatoris Ilicetana Ordinis Eremitarum D. Augustini.

Autore Admod. Reuer. Patre Magistro Felice Milensio Congregationis Sancti Ioannis ad Carbonariam Ordinis eiusdem.

Bibl: Soc: Ad: Comit: Sol: Iohan




BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SENIS, Apud Matthæum Florimum. M.D.CX.

Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO

REVERENDISSIMOQVE DOM. D. CAMILLO BVRGHESIO, SENARVM ARCHIEPISCOPO MERITISSIMO.



Frater Saluator Bindius Senensis maiorem felicitatem.



VICQVAM aliud citiùs cogitassem Illustrissime Præsul, quàm quòd, diminuta iam ætate hominum, tandiu mortalem vitam producturus essem, vt huius sacratissimi Collegij Senensis Theologorum illustrium iterum Decanus, in maiori cathedra, perannans, semimortuis artubus sessitarem. At quia sic Deus indulsit, induxi animum, si quibus potuissem significationibus huic patriæ amabilissimæ, quæ me genuit, huic Senatui præclarissimo, qui me promouit, pensum meum persoluere: & mihi euenit; vt candelæ, quæ prope finem fulgurans, in flammas soluitur. Quare orationem ab Admodum Reuerendo Patre Magistro Felice Milensio Ordinis mei, edendam pro gestis postremis mei Decanatus, secundum morem Collegij, non multis precibus, pro eius humanitate, curaui: quæ carptim, breuitatis ergò, recitata, non desijt in scintillis lumina sua ostendere: &, scio, eam multò maioribus vestiuisset splendoribus, nisi stylum recitaturi viribus attemperasset. Eandem modò sua varia eruditione atque eloquentia refertam, prælo committo; ita integram, vt orator edidit, incredibiliter placituram,

quæ & mutilata placuit: Tibique nuncupo, Præsul Amplissime, multis de causis; sed duabus potissimum: primùm, quia Tuo præsidio, tanquam alterius Tusci Mecænatis, factum est, vt studia nostra, præsertim Theologica, si vnquam floruerunt, modò sint florentissima: deinde quia totius Ordinis mei, & huius imprimis meæ Congregationis Ilicetanæ, sanctorum Patrum, ac Theologorum feracissimæ; amantissimus semper fueris, indiesq; fias amantior. Mihi verò sufficit, quid intenderim, indicasse: & gratiam in me Tuam hisce motibus excitasse saltem, si non meruisse. Prouehat Deus Illustrissimam Dominationem Tuam à felicitate in maiorem continuò felicitatem. Senis, quarto Nonas Octobris MDCX.



Audatiſſimam omnium ore ſapientiam in ſacro Patrum Collegio ſapientiſſimorum oraturus, minus mihi difficile arbitror, eius ſuper omnes ſcientias, vt ſupremi cuiuſdam numinis inter hæroes, magnitudinem, excellentiam, diuinitatem perſuadere. Sed illud, pro rerum copia, pro generis dignitate perarduum, vt ſtellarum multitudinem in orbe lunæ, ita inter orationis, quamuis latiſſimæ fines, laudum eius argumenta perſtringere; atque, vt inacceſſum Solis cyclum, ita fulgentiſſimam eius altitudinem inter abditiſſimos diuinorum arcanorum receſſus vel ipſo mentis oculo conſequi. Verùm quia nihil iucundius, quàm de ſapientia vel audire, vel loqui, ipſius tantùm nominis delectatio, dicentis laborem, audientium faſtidium, orationis humilitatem (tantum ſpero) mirum in modum ſubleuabit: & qui angelicis alis, orbes cœlorum penetrare nequeo, in terreni montis ignitos rubos poſt gradientem Moyſen nudis pedibus reptabo aſcendens: & quod diuis ſpirituum ſupernorum oculis intueri non poſſum, labijs cum Iſaia, cœleſti igne purgatis, dicendo ſaltem, vel mutiendo attingam. Quis enim, Doctores clariſſimi, ſi ſolam Theologiæ veritatem verbis proſequi vellet, poſſet ad numerum? nihilominus id antè agendum eſt: ſiquidem ea eſt intellectus natura, vt totus, velut ad magnetem palea, feratur in verum; verum inquirat; & nunquam, niſi in veri poſſeſſione conquieſcat. At ſacer locus, ſacri auditores, ſacra theſis, ſacer autor, ſacer Diuo Hieronymo dies admirationem, ectaſim pariunt, nedum ſilentium; idq; primum ſapientis eſt, ſilere cum expedit. Dicebantur ſophi ante Pythagoram ij, qui poſt Pythagorã philóſophi dicti

ſunt,

ſunt, qui percontantibus quid profiteretur, ſe,vt humilis, non ſophum,ſed philoſophum,ideſt ſapientiæ amatorem eſſe reſpondit. Sed cùm ſapientia Deus ſit,& verus philoſophus amator Dei,nunquid philoſophi fuerunt, qui fuerunt non veræ ſapientiæ amatores? Noſtra quidem, quæ Græcè dicitur Theologia, nempe de diuinitate ſermo, vel ratio,inde ſapientia eſt,quia de Deo eſt;inde vera, quia de Deo vero, & de operibus quibuſcumque, intra,vel extra Deum, non aliud vnquam aſſerit, niſi verum. Quid eſt autem,inquit Tullius,ratione diuinius? quę cum adoleuit, atque perfecta eſt,nominatur ritè ſapientia. At nulla perfecta ratio ſine veritate conſtabit;& nulla veritas ſine ea veritate, quæ Deus eſt. Tria verò tradita olim eſſe Deorum genera diſſerebat Scæuola Pontifex; vnum à poetis; alterum à philoſophis;tertiũ à principibus ciuitatis: totidemq́; Theologiæ poſuit Varro;mythicon;phyſicon;ciuile (poſſum dicere) fabuloſum;naturale;vrbanum. Sed quodnã facinus,ſi hoc non eſt,erit indignum? Nomen illud Theologiæ ſanctum,dei forme,diuinum, ſibi etiam poetæ, & ij quidem vendicabant, quales Orpheus Thracius, Muſæus Athenienſis,Linus Chalcidius,& eiuſdem farinę homines, vani, profani, nugaces: à quo tantò longiùs diſtabant, quantò minùs à falſitate: ſacrilega, inquam, gentilium poetantium turba,impia, mendaciſſima, ſalax, ineffabile propemodum Theologiæ nomen propterea inuaſerat, quòd & ipſa de Dijs ageret. Ita ſanè, agebat de Dijs: ſed de talibus Dijs, Auguſtinus ait, qui vel Mundi huius,quẽ Deus fecit, elementa ſunt: vel in principatu ad nutũ creatoris, non ſuis meritis ordinati; vel & ipſi homines, licèt magni. Et ſicubi vnum verum Deum cecinerunt,commiſcuerunt & Deos alios;fœdarunt omnia fucis;execrandiſq́;

diſq́;

disq; chimæris sursum deorsum omnia deturbarunt, ita vt eos, (velit, nolit) ipse idem Scæuola detestetur. Quis .n. si Deorum sobolem effingant, non horrescat audiens, numen aliud ex capite erupisse, vt Mineruam, quasi pituitam ex cerebro vliginoso fluentem de naribus? aliud ex fæmore Iunonis germinasse, quasi ex trunco ramum, vt Vulcanum? siue ex fæmore ipsius Iouis aliud, vt Bacchum, quem Semele cum concepisset, &, fulmine tacta, immaturum dereliquisset, alligatum Iuppiter fæmori suo complesset? Imò etiam (pro pudor) ortam Venerem, nescio quam, ex guttis sanguinis detruncatorum virilium cœli, & spuma maris. Sed leuia hęc videri possunt, si referantur ad infamissimos mores, quibus eos dehonestabant: iam dicentes adulterari Iouem in forma cygni cum Leda, vxore Tyndari; iam cum vxore Amphitryonis: modò verò ardere impudiciùs, & Ganymeden chrysocomum, Trois filium (vah scelus) cœlo raptum, sibi inter epularia scitamenta, destinare cymbiorum pincernam: tabere hinc zelotipia Iunonē; inde rapi ad stuprum Proserpinam: Cupidinibus suis feriri Veneres; furari Mercurium; latrocinari Cacum; Saturnum deuorare filios suos. Quid amentius? quid ipsa enormitate enormius? Quoad officia verò, cachinnos mouent, quę phanaticè fingunt: nimirum, occupari Lucinam anxiè puerperijs torminosis; aduigilare Forculum foribus; insidere Limentinum liminibus; præsidere Cardeam cardinibus; & (vt magis absurda sileam) ipsis etiam cloacis excubare Cloacinam: non spicę, non calami, non calamorum nodi suos quique Deos non habuerunt; vt faciliùs, quàm eos atomos numeret; vel eorum deformissimas, quales Naso Apuleiusq; commentati sunt metamorphoses; quales Hesiodus theogonias, quales Boccacius

mon-

monſtroſas genealogias Deorum. Et vt canunt? Pindarus de laudibus non Apollinis ſolùm, ſed & Deorum omnium paeana cecinit; quidam & dithyrambos in laudem Bacchi: Auſonius technopægnio, poemate petulantiſſimo, luſit: Simonides næniarum primus autor eſſe Cœa lyra gauiſus eſt: Ariſtophanes facetijs comicis Deos riſit: Pacuuius etiam picturis ſua tragica deliramenta ſuomet penicillo commiſit. Hęccine, optimi Patres, Theologia? de Deo hęccine? qui vnus, immortalis, immutabilis, omnia videt, omnia implet, omnia curat: ſibi totus, omnibus totus, vbique totus, qui & ideo vnus eſt, quia omnipotens eſt: & ita ſummus, vt ſeipſo fieri maior minimè poſſit: adeo bonus, vt nec valeat ſemel velle eſſe malus. Mendacia ſunt, blaſphemijs impiè concinnata, neque ipſis apta theatris, quę poetarum cohors inuexit in Deos: quemadmodum & tertium illud genus ciuilis, imò inciuilis Thęologię deteſtabile; & non ab vrbe, ſed ab orbe vniuerſo excludendum; tantò pernicioſius, quàm poeticum, quantò firmiùs falſitati hęret; & fabuloſiſſimis huiuſcemodi Dijs cultum exhibet; delubra conſecrat; ſacra facit: & nō figmentis iocoſis, ſed lacte, ſanguine, animalibus, vario, ſerioq; ſacrificādi ritu, diuinos defert honores. Sic illud genus dum ſuos poetas conatur facere Theologos, facit mimos: hoc verò ſuos flamines, non Theologos, aut ſacrificos, ſed ſacrilegos facit, & lanios inferorū. At neq; illud, quod naturale diximus, tale eſt, vt verę Theologię nomine vel momento ornari liceat, & ſi ita accedat, vt partim tangat. Nā Epicurus nō tantùm Deorū prouidentiam negauit, ſed & ipſos inueniri Deos: & Protagoras ſi non negauit, dubitauit tamen, quo vecordius non muſſaſſent pueri. Qui verò (vt refert eloquens) Deos eſſe dixerunt, tanta ſunt in

varie-

varietate, ac diſſenſione conſtituti, vt eorum moleſtum ſit annumerare ſententias, moleſtius recenſere errores. An ijdem erunt Theologi, quos ſophos habuit Gręcia, & ſeptenario numero conſecrauit? At Solon Salaminius, Pittacus Mitylenæus, Chilon Lacedęmonius, Cleobolus Lyndius, Periander Corinthius, & Bias Pyreneus, non à phyſicis, ſed à datis benè viuendi inſtitutis, ſapiẽtes dicti ſunt. Vnus ex eis Thales Mileſius phyſicus erat, & hic omnium rerũ, eorundẽmet elementorum principium eſſe putauit aquã. O quot animatę laruæ, ſi per tempus liceret, cõtracto velo, implerent ſcenam, philoſophicè paludatæ: ſpectemus paucas. Anaximander ex ſuis quæque principijs naſci dixit; & ex infinitis principijs Mundos gigni innumerabiles; & diſſolui modò, modò iterum generari: atque in his operibus neuter diuinæ menti aliquid tribuit. Anaxagoras rerum omnium effectorem diuinum animum vtique ſenſit, ſed ex materia infinita. Anaximenes verò omnium rerum cauſas infinito aeri dedit, ipſoſq; Deos ex aere ortos opinatus eſt; à quo non longè diſſenſit Diogenes; vt Archelaus Anaxagoram magiſtrum ſuum ſequutus eſt. Parmenides vniuerſum credidit eſſe immobile. Socrates, & ſi ad componendos mores philoſophiam ſuam inflexerit, ſuis tamẽ diſputationibus dum omnia mouet, penè omnia deſtruit; adeò vt Ariſtippus ſummum bonum diceret eſſe voluptatem, Antiſthenes virtutem; alij hoc, alij illud; ille fugiendam, hic adminiſtrandam eſſe Remp. Aeſopus, moralis & ipſe, ſed fabulator, & ludicrus. Ariſtoteles, deambulantium ſophorum dux, vt taceam errores reliquos, Mundũ exiſtimauit fuiſſe æternum. Hęc Ionica, vbique celebris ſapientia, hęc priſcis admiranda ſeculis Theologia: cui ſi Stoicos addamus, Zeno Cyprius, à quo eorum diſciplina

 eſt,

est, & cum eo Chrysippus atque Cleantes docuerunt mentium voluntates subditas necessitati: mala corporis non esse mala: ignem in hac vita esse beatitudinem; imò esse viuentem; imò Deum, omniumq; principium; prope quod sensit Heraclitus. Vtq; vnum magnæ Græciæ nostrę Pythagoram afferam, is prodire Deos faciebat ex numeris. Abeat Empedocles, Epimenides, alij: abeant Memphitici vates; gymnosophistę Æthiopes; abeant omnes. Ecquis enim cateruas nominet philosophantium, dum eos Varro in ordinem cogens, in ducentas octoginta octo sectas vocare omnes minimè potuit? Ille vnus non elabatur Plato, qui adeo omnibus præstitit, vt diuinus appellaretur; & cui, si nulli alij, nomen Theologi congruentiùs deberetur. Non satis illi erat præceptor Socrates, peragrauit Italiam, vt Architam, & Arionem Pythagoricos audiret: & qui, doctor expetebatur Athenis, niloticas ripas, limo inextricabiles, constanti pede percurrens, Aegyptiorum senum gloriatur fieri discipulus; quasi literas (vt cum Hieronymo loquar) toto orbe fugientes persequeretur. Sed quot in locis lapsus est Plato? Ideas posuit aliud esse, quàm mentem diuinam. Deum, qui excedit omne ens predicamentorum, posuit in diuisione existentium. Eam, quę vna est, Dei prouidentia, triplicem fecit: primamq; erga creaturas intellectuales, & totum Mundum, quoad genera, & species, Deo tribuit: secundam erga singularia, animalia, plantas, circa generationem, aliasq; naturales mutationes, Dijs dat, qui cęlum curant: postremam verò dęmonibus, qua scilicet prouidetur humanis actibus. Stultus factus est omnis homo à scientia sua, inquit Hieremias; quippe cum non adiuuatur à scientia Dei, dicentis, Perdá sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

babo. Docuit vtique Plato immortalitatem animæ in Phedone: Mundum á Deo conditum in Timæo; Deï imitatorem, cognitorem, amatorem esse sapientem, cuius participatione beatus sit. Docuit triumphum esse innocentię, non peccare, vbi posse licet: potissimum philosophię robur patientiam esse: escam malorum esse voluptatem, qua capiuntur homines, vt hamo pisces: huiusmodi plurima, verę Theologię consona docuit; vt Magi, qui tunc Athenis erant, immolauerint defuncto, eumq; Labeo inter numina collocauerit. Sed dicam cũ Augustino: quicquid philosophi inter falsa, quæ opinati sunt, verum videre potuerunt, & laboriosis disputationibus persuadere moliti sunt, quòd Mundum istum fecerit Deus, eumq; ipse prudentissimus administret; de honestate virtutum; de amore patrię, de fide amicitiæ, de bonis operibus, atque omnibus ad probos mores pertinentibus, quamuis nesciẽtes ad quem finem, & quonam modo essent, ista omnia referenda sunt propheticis, hoc est diuinis vocibus, quę ex ipso etiam creato orbe ita proclamant, vt, secundum Paulum; quod notum est Dei, ipse manifestauerit eis; cum ab eis inuisibilia eius per ea, quę facta sunt, intellecta conspecta sunt, sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Ante Pythagoram, autorem philosophici nominis, excelluere prophetæ. Ante sapientes, quorum princeps Thales, prophetię lumen effulsit. Ante poetas, Orpheum, Musęum, Linum summus ille Theologus noster Moyses emicuit. Ante Aegyptiorum sapientiam claruit Abraham, qui Aegyptios astrologiam, & arithmeticam docuit. An & nos non habemus poetas, eosdemq; veros Theologos? Dauid Simonides noster, inquit Hieronymus, Pindarus, & Alcęus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus, Chri-

ſtum lyra perſonat, in decacordo pſalterio ab inferis excitat reſurgentem: Iob proſa incipit, verſu labitur: Hieremias quadruplex diuerſis metris nectit alphabetum: Salomō in Canticis nuptiarum dulce canit epithalamium. Si phyſicos Theologos quæritis, prodeunt hinc inde examina certatìm, vnusq; pro omnibus pręcurrit Moyſes. Quę vnquam, dicite, quęnam de orbe condito inquiſitio certior, hiſtoria verior, aut veritas tutior noſtra Geneſi? Quis Platonis, aut Tullij libros de legibus comparet cum Deuteronomio? Quis omnia Peripateticorum de cælo, de generatione, de phyſicis cum primo Geneſeos capite conferat, adeo perenni, ſacro, diuino, vt cautum eſſet Hebræis, ne quis illud non tricenarius legeret? An ſacerdotalem Theologiam, quæ ciuili reſpondeat, non habemus? Mittamus Leuiticum, pręteream us antiquos, nominemus vnum, vel alterum à Chriſto nato. Petrus tantus eſt, quantum Theologorum verticem, & quidem ſupremum dicit Dionyſius; ad quem Paulus, etſi in ſe habitantem haberet Chriſtum, venerabundus acceſſit; & Damaſco Arabiaq; luſtrata aſcendit Hieroſolymam, vt videret Petrum, & manſit apud eum diebus quindecim. Paulum, à quo ignoti Dei cognitionem accepit Areopagus, vas electionis, & Doctorem gentium appellat ipſe Chriſtus, vas legis, & ſcripturarum armarium ipſe Hieronymus. Et vnde vnquam tanta vox, quanta illa tonantis Ioannis, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum? Vnde illa Apocalypſis, quę tot habet ſacramenta, quot verba? quinimò, parum dixit Hieronymus, tot habet ſacramenta, quot elementa, quot apices. Committo ſilentio ineffabile illud ſacrificium incruentum, quò quęcunque vni vero Deo debentur, oblationes,

ſacriſi-

ſacrificia, holocauſta; recurrunt admirando myſterio. Taceo cæteros illius ſupremi Collegij infulatos Theologos, Euangeliſtas, Presbyteros, vnde veræ Theologiæ veritas per quatuor Mũdi cardines vndequaq; diffuſa eſt: taceo cuneos ſequentiũ Doctorũ, myriades ſacrorũ Scriptorum, quorum vel primas nominum literas recenſenti deeſſet ætas. Recolam Gregorium Magnum, cui vel columba ſubmurmurat dictanti; vel ipſi angeli reſpondent celebranti: qui nunc Ezechielis obſtrũſiſſima peı meat, nunc Canticorum oſcula ſacro ore delibat. Memorabo Ambroſium, ad cuius aures dictantem angelum vel ipſi Ariani aſpiciunt: ad cuius famam conueniunt Perſæ: cuius lingua, calamus, autoritas Theodoſium frænant; Iuſtinę Imperatricis perfidiam frangunt. Te verò Auguſtine parens, Theologorum Decanę ſumme, philoſophorum oraculum certum, hęreticorum omnium impugnator, victorq; glorioſiſſime, quis vllo vnquam valeat verborum compendio recolere? Tot (o mirum) ab Auguſtino edita, & dictata eſſe, ait Poſſidius; tot in eccleſia diſputata, excepta, atq; emendata; vel aduerſus hęreticos ſcripta, vel ex canonicis libris expoſita, vt ea omnia vix quiſpiam ſtudioſorum noſſe, & perlegere ſufficiat. Et planè miraculo accidit, vt, Hippone regio à furentibus Vandalis cõcremato, Auguſtini bibliotheca flãmas eluſerit. Accedit ad quadrigam Domini perficiendam trilinguis ille Hieronymus, fideliſſimus, æque ac elegantiſſimus ſcripturarum interpres & oſtiarius: cuius pręconijs ea acceſſio facta eſt, quòd Nazianzenum prope triennium promeruerit audire: & luſtratis quaſi omnibus orbis remotiſſimis angulis, ferè priùs deſineret viuere, quàm docere. Vt autem ei, loco ſymboli conſueti, leonem

adpin-

adpingam, Leonis Magni memoria sermonem claudam; Leonis inquam, Theologi eloquentissimi, florentissimæ Hetruriæ ornamenti, quem Totyla, Scytharum fulmen, quem Gensericus, Gothorum Hercules, humiliatis ceruicibus venerantur. Vestri sunt hi Theologi o Patres, vestra hæc encomia, panegyrica vestra: ego verò tantillus sum, vt diuinum Theologiæ nectar, primoribus libatum labris, vix quidem ex vno veritatis fonte, â poetarum, sophorumq; inquinamentis purgato, vobis humaniter propinare potuerim. Si quid præterea præstantię eius, si eius laudibus addere suffragia concupitis, vos ipsos addite, & erit satis. Quid plura? Quid à me vltra, suspensi ora, contenditis? num coronidem? Emicat â syderibus Pius Aeneas; ille idem Aeneas Siluius, Pius Secundus, illustrissimi generis Picolominei germen ac stirpes; Senarum decus inclytum, supremi solij Apostolici olim Hierarcha; tantę sapientiæ Pater, vt ignoretur adhuc, an eum osores fidei nostræ metuerent magis, quàm collaudarent: tantæ item eloquentię, vt ipsemet Mahometes, Turcarum tyrannus, quamuis immobiliter impius, animum orationi eius pijssimę nunquam inflecteret; sentiret tamen legendo aculeos; experiretur ignes; delectaretur ornatu: atque si pietas non fuit, fuit certè lacteæ illius facundiæ vigor id, quod fibris eius inserpens, propè fecisset, vt nutaret omnino veritati intellectus, nisi sese auitæ sæuitię, atque ingenitę barbariei adamantibus cuspidatis resultans obiecisset armata voluntas. Ad quam vel militaribus terroribus expugnandam (nihil enim non tentat pietas) etsi ingentem vndique expeditionem pararet Pius, non alijs equidem armis, nisi suæ ipsius linguę facundissimę (mouente Deo) eam sibi obsequentem sua-

uiter

uiter reddidiſſet. At vbi hęc fiunt, quando magis hęc Anconæ cogitat Sanctiſſimus Pontifex, cum nobis, vt ſuis celſiori cathedra redimiret coronis, cęlum abſtulit. Prætermitto alios (non enim hiſtoriam teximus) venio ad hoc ſeculum, non multò ante multifariam agitatum: quo (miſerante Deo vices noſtras) PAVLVS QVINTVS, iam antea Camillus Cardinalis Burgheſius, ex hac eadem Senenſi patria, vt ex Senatus conſultiſſimi fœcundo vtero, nullis ætatibus ſeneſcente, thronum Petri, plaudente vndique orbe catholico conſcendit, ſuſtenturus vices Dei in terris: Pontifex verè Opt. Max. Beatiſs. Noſtis vos; laudaſtis; pręcipuis honoribus affeciſtis eius nobiliſſimos atauos: vidiſtis, mirati eſtis, ad quantas gradatim dignitates, doctrinę eius ſplendor, vitæ puritas, immenſorum meritorum vires eum euexerint: audiſtis, & vos vnanimiter exultaſtis, quomodo ſacer Eccleſiæ Mundus, tanquam nactus delitias ſuas, ipſo Pontifice conquieuerit: qua profectò nec maior, nec vlla vnquam melior eſſe poteſt Chriſtiani gloria Principis. Et iam nunc videor illum videre in his ipſis ędibus ſacris Pontificia maieſtate ſedentem, atque Paulino Tharſenſis ſpiritu vos talibus compellantem: Ciues, quid vltra comperendinatis cæleſtem illam vrbem capeſſere, quę omnium vrbium ſęcula antecedens, verè Sena eſt, nunquam ſeneſcens, ac ſenioribus, ſemper florentibus ætate plenitudinis Chriſti, pleniſſima? Clauſit eam Adam terrenus, cæleſtis aperuit: reliquit hîc clauos, & claues: Sacramentis irrigauit Eccleſiam. Veſtrum eſt, eo Duce, currere, peruenire; certare, vincere. Illa, ò Ciues, Hieruſalem, quę ſurſum eſt, libera eſt, quę eſt mater noſtra. Ibi diuitię, ibi delitię, imperium ibi. Illuc Theologi vos ipſos,

illuc,

illuc alios doctrina vnius Magistri, Domini nostri IESV CHRISTI, dirigite. Nulla inter hęc męnia (arcente illo) nouatorum infernalium monstra, in quę iaculemini: nihil hic zizaniorum, dogmatibus fidei internatum (protegente MARIA) quod euellatis, aut infirmetis. Vnum est: denudatum terrenis affectibus animum induere cælestibus.

Dixi.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Impressa Intuitu Adm. R. P. Eximij sacræ Theologiæ Doctoris Magistri Saluatoris Bindij Illustris Senensis Patritij.